Dixit enim de quodam qui de centum ovibus unam amisit
Et dimittens nonaginta novem in deserto ad querendum illud quit
Et cum eam invenisset multum exclamabat
Et in humeris eam ponens multum exultabat
Convocatisque amicis suis gaudium illis indicavit
Et eos ad congaudendum secum sollicite invitavit
Per istum hominem deus est designatus
Qui pro nostra salute homo fieri est dignatus
O homo si cupis deum et omnem celi curiam letificare videre
Studeas vitam tuam et aliorum emendare
Centum oves fecit una et nonaginta novem
Per hoc debemus intelligere novem choros angelorum et hominem
Ex hijs una ovis perdita est et perijt
Quando homo mandata dei transgressus eterna morte interijt
Deus autem novem choros angelorum dimisit
Et veniens inquit mundum hominem perditum quesivit
Per triginta tres annos quesivit et tamen se fatigabat
Ut de toto corpore suo sudor sanguineus emanabat
Vide homo quantum te invenire cupiebat
Qui cum tanto labore et tam longo tempore te querebat
Inventa autem ove super humeros suos portabat posuit
Qui autem crucem proprijs humeris baiulavit
Attende homo quod non solum habuit fatigacionem in querendo
Sed etiam usque ad mortem laboravit te in celum referendo
Amicos suos congratulandum sibi invitavit
Quando cum homine ascendit et omnem celi curiam letificavit
Lacrime enim peccatorum veraciter contritorum
Vinum et siceram sunt omnipotentis dei et sanctorum
Pura conversio peccatorum et devota oratio
Sunt deo et sanctis symbola in cytharizando
Panem desiderabilem deo et sanctis exhibemus
Quando voluntatem dei facimus et mandata eius implemus
Tot genera ferculorum deo et sanctis ministramus
In quot generibus bonorum operum carnes nostras exercemus
Fercula deo et sanctorum cum aromatibus condiuntur


© Universitätsbibliothek Freiburg

gefördert durch Baden-Württemberg